

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LVIII. Continens Historiam Peregrinationis Christi, Per Civitates Et
Castella, Cum Apostolis Et Mulieribus Quibusdam, Lucae 8 v. l.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

textum explicat. Alter enim Christus loquitur ad ipsam mulierem, quando conscientiam ipsius absolvit: *Fides tua te salvam fecit*: & aliter ad Pharisæum. Ad hunc enim inquit: *Tibi dico*, id est publice vobis significo, mulierem hanc publica fama propter notoria flagitia notatam & damnatam, jam propter publicam ejus dilectionem seu confessionem esse publice ab Ecclesia absolvendam à publica sententia, seu excommunicatione: id quod coram Ecclesia, qua cor intueri non potest, aliter fieri non potest, nisi ostendantur fructus digni poenitentia. Conscientia verò peccatoris,

ut habeat firmam consolationem, non ad dilectionem qua imperfecta & immunda est, releganda est, sed ad fidem nitentem Mediatores Christi deducenda est, sicut Christus inquit: *Fides tua te salvam fecit*. Et hic considera exemplum Apostoli Pauli, an non hanc Christi Domini sui doctrinam observavit. 2. Cor. 2. v. 6. in recipiendo incestuoso illo Corinthio, intra Ecclesiarum communionem, quem prius, 1. Cor. 5. v. 3. excommunicandum censuerat. Studeamus igitur & nos eodem modo ad doctrinam & facta Christi nos accommodare.

CAPUT LVIII.

CONTINENS HISTORIAM PEREGRINATIONIS CHRISTI, PER CIVITATES ET CASTELLA, CUM APOSTOLIS
Et MULIERIBUS QUIBUSDAM,
LUCÆ 8. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Post historiam de peccatrice, Lucas hanc peregrinationem ponit. Et non est dubium eam hoc ordine sequi. Etenim eam cum sequentibus hoc modo connectit: *καὶ ἐγένετο τῷ καθέξῃς, οὐδὲν εἶπεν*, & factum est deinceps, ostendens se historiam (ut ita dicam) continuare, & quid postabsolutionem peccatriceis sequutum sit, indicare. Ab *ἐχεδώῃ* enim, unde *καθέξῃς* deducitur, est *ἐχομένος*, quod proxime & quasi continua serie sequitur. Est autem hæc profectio alia ab ea, quam Matthæus c. 4. v. 23. & Marcus c. 1. v. 39. descripsit, & supra c. 41. harmonia est exposita. Hæc enim accedit ante secundum Pascha ministerii Christi, ubi *όλην τῶν Γαλιλαίων totam Galileam circumivit*. Est item alia ab ea, quæ describitur Matth. 9. v. 35. & Marc. 6. v. 6. ubi rursus quasi generalem visitationem Synagogarum, in civitatibus & castellis illorum, scilicet discipulorum, qui plerique ex Galilæa oriundierant, instituit. Hæc enim demum post suscitatam Jairi filiolam accedit, paucis nimis mensibus ante tertium Pascha, quod incidit in ministerium Christi: sicuti de eo etiam in 4. Prolegom. actum est. Hæc autem profectio, quæ hoc loco à Luca describitur, accedit, ut appareat, antequam Dominus transfretaret in terram Gadarenorum, ex qua rediens demum filiolam Jairi scitavat.

Itaque Christus hunc etiam secundum ministerii sui annum magna ex parte perfectionibus & peregrinationibus Galilæa consumpsit. Etenim, licet Dominus Jesus, Matth. 4. v. 13. habitationem suam transtulerit ex civitate Nazareth in nobile illud emporium Caperнаum, unde & ipsius civi-

tas dici coepit, Matth. 9. v. 1. tamen ex eo tempore, quo Pharisei cum Herodianis contra ipsum conspirarunt, ob sanatam manum aridam in Sabbato, Matt. 12. v. 14. quia nondum hora ipsius venerat, non multum hæsit in urbe, sed per secessus & profectiones ipsorum insidias declinavit. Aliquoties tamen eam ingressus est, quoties nimis nimurusciebat, illud gloriæ divini sui nominis conducebat, & aliquos sibi lucrificari posse: sicuti id bis nunc, tum in Centurione, tum in peccatrice factum esse vidimus.

Quia verò gravi ista compellatione, quæ in præcedenti capite Simonem Pharisæum notavit, quod frigidè admodum se curaret & amaret, absque dubio aliquos ex convivis, qui minus benevolè ergo Christum erant animati, offendebat, ne præsentia sua ipsorum livorem & odium amplius accenderet, mox rursus eum ad tempus declinandum censuit, atque propterea hanc profectionem in civitates & castella instituit. Cui non opus est ita multum temporis tribuere: quia non totam Galilæam peragrat, quæ habuit, Josepho teste, civitates πυκνὰς, frequentes, crebras & densas, sed tantum alias adiit. Unde & Lucas simpliciter dicit *διώδευε*, *quasi obiter permeans iter fecit*. Osiander quidem in annotat. lib. 2. c. 9. & 10. dicit illum secessum Christi, qui Matth. 12. v. 15. post sanatam manum aridam describitur, eundem esse, cum his, quæ Lucas hoc loco commemorat: sed nec probat, nec ipse ea in Harmonia conjungit. Iccirco nos, sine præjudicio aliorum, huic profectioni hunc locum attribuemus. Et post hanc historiam pulchre sequetur, quod Marcus c. 3. v. 20. dicit, *Ιεζούς δομον redisse*, ex hac scilicet profectione, sicuti postea ostendemus.

HISTORIA PEREGRINATIONIS CHRISTI PER CIVITATES ET CASTELLA.

LUCÆ 8.

1. *Καὶ ἐγένετο τῷ καθέξῃς, καὶ αὐτὸς διάδευκτός πόλιν, καὶ πάντας, κηρύσσων καὶ ἐναγγελίζουσαν τὸ βασιλεῖαν τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ διάδεκται σὺν αὐτῷ.*

1. *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo.*

2. *Καὶ*

7. Καὶ γυναικές πνεούσι τὸν περιστερόντανον ἀπὸ την πεντάτον τοντῶν, καὶ σὺν θεοῖσιν, Μαργαρὴ καὶ λύ-
μένη Μαγδαληνή, αὐτοῦ δαμονα ἐπτὰ ἔξελην
θ.

3. Καὶ Ιωάννα τοῦ χειρόποτος Ηρώδου, καὶ Σωτίννα,
καὶ επέρσι πολλαῖς πνεούσιν πάνταν αὐτοῦ, δὲν τῶν
υπερχοντων αὐτοῖς.

2. Et mulieres aliquæ, que erant curante à spiritibus malis-
gnis & infirmitatibus. Maria que vocatur Magda-
lena, de qua septem demonia exierant.

3. Et Iohanna uxor Chuze procuratoris Herodis, & Sa-
mann, & alia multæ, que ministrabant ei de facul-
tatis suis.

Perioda hujus Historiæ.

Hujusmodi profectiones sunt pulchra & dulcis
descriptio, quale sit officium Messiae. Antea
Dominus Iesus invitarat ad se laborantes & one-
ratos, & ostendit, quam amanter eos ad se recipiat
qui ad se veniunt. Jam vero suscepit peregrinatio-
nem, ut eos, qui ultiro & per se non veniunt, ipse
præveniens querat & excitet: quo impleatur il-
lud Ies. 65. v. 1. invenerunt, qui non quæsiverunt
me. In Christo enim non hoc tantum habe-
mus, quod eos, qui agnoscunt se esse oneratos, &
habent propolum veniendi, clementer recipit:
sed & hoc pertinet ad Messiæ beneficia, quod eos,
qui non veniunt, quia non sentiunt se oneratos
esse, ipse querit, & ostendo labore & onere ipso-
rum, inspirat ipsis desiderium & propositum ve-
niendi ad medicum. Exitatos amanter ad se invi-
tat, venientes clementer recipit, receptos custo-
dit & gubernat, ut perseverent in finem, & salvi-
fiant. Observandæ igitur sunt illæ crebro repe-
rita descriptiones peregrinationum & profectio-
num Christi, quæ perfactoriæ, quasi non magni
momenti, præteriti solent: quod Christus, quan-
do non haber multos auditores ultiro accu-
rentes, ipse suscepit peregrinatione prædicando
querit & colligit Ecclesiam. Quando vero ma-
gnum concitat concursum, ipse secedit, ut
ostendat, quomodo vocati, qui habent initia fi-
dei, debeat Christum querere, & ipsum sequi,
juxta dictum: *Venite ad me omnes, &c.* Secevit ve-
ro etiam ob illam causam, ut corrigeret illorum
perversam opinionem, qui propterea concurre-
bant, eo quod somniarent carnale aliquod re-
gnum Messiae. Ita hoc loco ardore refrigerante
& turba dilabente, rursus civitates & castella præ-
dicando obit, ut colligat Ecclesiam. Et mox post-
ea, cum multæ turbæ convenissent, trahit mare:
& non diu post iterum, & ipse, & per missos præ-
cones, convocabit turbam quinque millium &
ultra. Et tales vicissitudines, ut ita appellentur,
multa in Evangelica historia describuntur, quæ
monent, quam multa pertineant ad fidelitatem
illam, quæ in ministerio verbi atque dispensatore
mysteriorum Dei requiritur. 1. Cor. 4. v. 1. Domi-
minus enim, cum factus esset minister Circum-
cisionis, Rom. 15. v. 8. non confedit expectans, do-
nei ipsi venirent, quibus opus esset medico: sed
ipse peregrinando per civitates & castella querit
eos. Nec offenditur, quando congregatis voce
ministerii multisturbis, videt non omnes respon-
dere vocationi, imo plerisque retrocedentibus
non abicit ministerium: sed tunc majori studio
& labore prædicatione verbi colligit sibi Ecclesi-
am. Ideo Lucas dicit *Διάδευτος*. Hoc enim verbo
Græci interpres usi sunt, Gen. 12. v. 6. & 13. v. 17.
ubi Hebreæ habent: Ibat eundo & proficiscen-
do secundum longitudinem & latitudinem.

Harm. Tom. I.

Et ut ostendat, se neminem excludere, sed omnes
vocare, peragnavit & castella & civitates. Nam
quod Lucas dicit, Καὶ πάντας καὶ κάπλα, idem est, quod
nos Germanice dicimus: Von Dorff zu Dorff/
von einer Stadt zur andern. Sicque ipsa demon-
stravit, se esse solem justitiae, à Propheta ita nun-
cupatum, Mal. 4. v. 2. Ut enim sol exortus absque
defatigatione movetur ab oriente in occiden-
tem, & per diversas orbis plagas modo versus me-
ridiem, modo versus septentrionem declinat, ut
nihil quicquam à calore ejus absconditum man-
eat, sed ipse omnibus lucem, calorem atque vitam
suppetat: Sic etiam Christus Jesus tempore mi-
nisterii sui nullum angulum in terra promissio-
nis ita neglectum & præteritum esse voluit, cui
non aliiquid lucis de doctrina, non aliiquid caloris
de Spiritu suo, non aliiquid de usura sempiternæ
vitæ communicaret. Imitentur hoc exemplum
eius ministri & servi, qui olim boni & fidelis servi
elogio & testimonio insigniri cupiunt; Matth. 25.
v. 21.

In illa vero peregrinatione sine dubio multas
habuit conciones: sed Lucas sumمام tantum
annotavit, quod scilicet *predicaverit Evangelium*
de regno Dei. Sed inquis, hæc *euangelio* est. Illa enim
eadem doctrina & illa ipsa verba supra saepius
proposita, repetita & inculcata fuerunt. Atqui
propter illam ipsam causam Evangelista hæc no-
tavit, ut ostenderet Christum in ministerio suo
non quæsivisse laudem eloquentiæ, nec simplices
auditores affectatione novitatis turbasse: sed
sicut Paulus inquit Phil. 3. v. 1. Eadem docere,
me non piget, vobis vero ad confirmationem uti-
le est. Et sicut Irenæus dicit: summa in Ecclesia
virtutem esse, perpetuo τὰ αὐτὰ τὰ τὸν αὐτὸν, ea-
dem de iisdem & sentire & loqui. Quid vero si
significant & complectantur illa verba (*predicari*
& *euangelizari regnum Dei*) supra c. 35. Harmoniæ
ex 4. c. Matth. & 1. Marc. nervose explicatum est.
Frigidum enim & ineptum est, quod quidam sub-
tilitates querunt, quasi in principio ministerii
prædicari *regnum cœlorum*: nunc vero incipiat præ-
dicare *regnum Dei*. Idem enim regnum est, quod
in Evangelii nunc regnum cœlorum, nunc re-
gnum Dei vocatur: sicut postea saepius mentio fiet
regni cœlorum.

Porrò in eadem peregrinatione sine dubio et-
jam miracula facta sunt. His enim duobus capiti-
bus (facere & docere) summa ministerii Christi
comprehenditur, Act. 1. v. 1. Et de miraculis qui-
dem, in peregrinatione illa factis, Lucas nihil vi-
detur dicere: sed tamen, si contextus diligentius
inspicatur, apparebit, Lucam utrumque comple-
cti, & doctrinam & miracula. Licer enim intel-
ligi posset, mulierculas illas, quarum hoc loco
mentio fit, sanatas fuisse ante susceptam hanc

Ddd

pere-

peregrinationem; nihil tamen obstat, quo minus accipiāntur in hac ipsa peregrinatione sanata fuisse. Et hoc judico esse simplicius, ut plena sit descriptio, quid Jesus in illa peregrinatione & docuerit & fecerit. Et illustre fuit spectaculum, quod cum prædicaret regnum Dei, simul circumtulerit testimonia confirmantia & obsignantia veritatem doctrinae, ducens secum mulierculas, quas recens in ipso itinere & ab infirmitatibus variis, & ab immundis spiritibus liberaverat. Illo enim spectaculo plures excitati fuerunt ad audiendum verbum. Memorabilis etiam est gratitudo muliercularum, quod non statim reliquerunt Christum, sicut plerique accepto beneficio sanitatis fecerunt, sed in comitatu ipsius haeserunt, & de suis facultatibus necessaria ipsi & Apostolis ministrarunt. Nec tantum gratitudinis exemplum est, sed præcipue ostenderunt verum ultum miraculorum Christi, ut scilicet deducant ad verbum, & sint incitamenta ad agnoscenda, quaerenda & amplectenda spiritualia beneficia Christi. Ita enim haec mulierculæ accepta, quam quæsiverant, sanitatem, tamen manent in comitatu Christi, ut scilicet verbum audiant, utque spiritualium beneficiorum particeps reddantur. Et hæc vera est gratitudo pro corporalibus beneficiis acceptis, ut Christo adhæreamus, ipsique de facultatibus nostris ministremus. Ita simplicius & ad doctrinam accommodatus est, si sanationes harum muliercularum intelligantur in hac ipsa peregrinatione factæ. Quod enim quidam fingunt, Mariam Magdalenam esse peccatricem illam, modo Luc. 7. v. 47. in gratiam receptam, & septem dæmonia intelligenda esse septem vita capitalia, frivolum est. Lucas enim expresse dicit a spiritibus immundis Magdalenam liberatam fuisse. Duo autem genera miraculorum recenset, sanationem ab infirmitatibus, & liberationem a spiritibus immundis. Ostendere enim voluit Christus, miseria humani generis consistere non tantum in corporalibus calamitatibus, sed præcipue in eo, quod regno & tyrannidi immundorum spirituum natura humana propter peccatum subiecta est. & suum officium esse, non tantum corpora sanare, sed præcipue, ut ex potestate tenebrarum nos transferat in regnum suum, Col. 1. v. 13.

Singulari vero diligentius Lucas descripsit, quem comitatum Christus in peregrinatione illa habuerit. Et primo nominatur *duodecim* Apostoli, quod quidem ita intelligent, ipsos in hac peregrinatione una cum Christo obiisse munus prædicandi. Id enim constructio indicare videtur. *Transibat prædicans, & duodecim cum illo.* Sed eadem ratione constructionis cohærent etiam sequentia de mulierculis, quas tamen propterea nemo affirmabit simul cum Christo prædicasse. Simplicius igitur est, quod Beda dicit, Christum iter fecisse prædicando, & duodecim Apostolos cum ipso, non ut & ipsi docerent, sed ut ab ipso instruerentur. Vocati quidem iam fuerant Apostoli, sed nondum acceperant mandatum prædicandi. Ut igitur firma maneat sententia Pauli, Roman. 10. vers. 15. Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint, simpliciter intelligatur, Christum Apostolos ante mandatum missionis secum circumduxisse, cum ipse prædicaret, ut ad futurum

ministerium ipsos instrueret & præpararet. Deinde nominantur *muliercula quædam*, quæ ipsum comitata scribuntur in hac peregrinatione. Et imago est regni seu Ecclesie Christi; Chorazim, Bethâida, Capernaum contemnunt Evangelium Christi. Scribæ blasphemant & persequuntur. Simon Phariseus leviter & frigide curat. De quibusdam ex cognatis Christi mox Marcus dicer, quod disjunxerint se ab ipso. Et tamen non frustra circumfert prædicationem de regno Dei. Quales vero habet sc̄tatores? Præter Apostolos habet mulierculas quasdam, & quidem tales, quarum aliae antea a spiritibus immundis obſeffæ, aliae incurabilibus infirmitatibus notaſtuerant. Contemptibilia igitur mundi eligit, ut confundat, quicquid altum est coram hominibus, ut non gloriatur omnis caro, 1. Corinth. 1. vers. 28. Et ne pauperes, atque abieci in hoc seculo existimant, sibi non patere aditum ad divitias gloriae gratia Dei in regno Christi. Ostendit etiam illa species, regnum Christi non esse de hoc mundo, Joh. 18. vers. 36. Observandum etiam est in hac descriptione, quod antea vita mulierculas, si sanatio subsecuta fuerit, Christus comitatu suo non ducat dedecori esse: sed illa tanquam insignia gratia & virtutis suæ circumferat & ostentet. Est & illa abjecta species regni Christi, quod in ministerio suo non habet vita necessaria, sed cogitur ex muliercularum quasi contributionibus se & suos sustentare. Lucas enim utitur vocabulo *dianœvæ*, quod de collatione & subministracione eleemosynarum, pro pauperibus, usurpatur, Actor. 6. v. 2. Roman. 15. v. 25. 2. Cor. 8. vers. 19. & 9. vers. 12. Et hinc potest colligi, unde Christus cum Apostolis in ministerio habuerint victimum. Apostoli manibus non laborarunt: reliquerunt enim retia, Matth. 4. vers. 22. Neclegitur Christum certos habuisse redditus. Et aliquid quidem miraculose pecuniam & victimum sibi & suis procuravit, Matth. 14. vers. 20. & 17. v. 27. sed non semper, immo semel atque iterum tantum hoc fecit. Nec tamen etiam ostiatim mendicando victimum quæsivit. Sed ex contributionibus piorum habuit vita necessaria, quorum liberalitatem mediocrem loculi, Judæ commendati, Joh. 12. vers. 6. ostendunt. Et potuisset quidem semper miraculoso modo victimum sibi & Apostolis procurare; sed voluit hoc suo exemplo ostendere, auditores debere ministris verbi vita necessaria, & qui Evangelio serviunt, jure de Evangelio vivere posse. 1. Corinth. 9. v. 14. Hieronymus inquit: Confluetudinis Judaice fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victimum atque vestitum præceptoribus darent. Cumque non tantum Christum doctorem, sed & discipulos, qui ad prædicandum instituebantur, honesto stipendio aluerint, exemplum præbent, debere opulentiores etiam aliquid contribuere ad honestam educationem & institutionem eorum, qui ad ministerium verbi in Ecclesiis subeundum instituuntur.

Recententur autem nomina quarundam muliercularum. Inter quas. 1. nominatur *Mari Magdalena*, quæ à Magdalo Vico, Matth. 15. vers. ult. cognomen hoc traxisse videtur. De hac ab-

tem Maria Magdalena vulgatissima est opinio, ipsam fuisse peccatricem illam, quam Christus capite præcedenti in gratiam receperat, cuicunque peccata sua dimiserat. Imò aliqui faciunt quoque ex ea Mariam, sororem Martha & Lazari. Sed utraque sententia nullum fundamentum habet in historia Evangelica. Neque enim frustra Lucas hic adjicit, & Marc. 16. v. 9. repetit, ex Maria Magdalena septem dæmonia exiisse. Inde enim colligere licet, primo illam non fuisse sordidam illam peccatricem. De hac enim Lucas in præcedentibus testatus fuerat, eam adstuisse ad pedes Christi, amare illachrymantem fuisse, pedes ejus lachrymis rigasse, capillis terisse, unguento unxiisse, crebra oscula fixisse. Christus autem hæc omnia interpretatus est, fuisse signa seriae poenitentiae, qua peccata sua agnoverit, fidem testata sit & toto corde eum, qui salutaria æternæ vita monita præbuerit, amare cœperit. Talia vero nunquam quisquam de dæmoniacis, quan diu ejusmodi essent, prædicare audivit. Adhæc sunt dæmoniacæ, etiam ab uno tantum nedum à septem obfessæ, adeò horribiles & cuilibet spectanti terrificæ, ut revera perditæ & prodigiose libidinosus sit, qui fœminam, quæ à Diabolo exagitatur & discruciat, in comitatu habere velit. Cum ergo prior illa à peccato, hæc vero à Dæmoniis, quorum exigitatio non peccatum, sed pœna peccati est, liberata fuerit: quis non videt, duas diversas fuisse? Peccatricis autem nomen Evangelista non expressit, dubio procul ipsi parcens, ne qua infamia nota peccans apud suos viva laboraverat, eadem pœnitens & mortua apud posteritatem traduceretur. Non ergo nos, sive ex curiositate, sive ex præsumptione aliqua, nomen ipsius disquirere cupiamus. Dæmoniacæ autem nomen non supprescit, quia à flagello suo liberata authorem vitæ lequebatur, & gratitudinis ergo de facultatibus suis ministrabat ei, qui providet omni creaturæ. Quo etiam nomine tanto minus credibile est, quod illa, qua tantas habebat facultates, ut etiam Domino & discipulis ministrare posset, ad stipem male & perditæ emerendam, tam prostituti fuerit pudoris. Deinde quoque hæc Maria, quæ cognominatur Magdalena, non fuit illa Maria, soror Martha & Lazar; eo quod Magdalena fuerit Galilæa, Maria autem Martha soror fuerit Iudea, ex castello Bethania, Johan. 11. vers. 1. Anile autem & nugatorium est, & omni fundamento Evangelico carer, quod historia Lombardica fabulatur, fuisse Lazarum, Martham & Mariam ex regia profapia oriundos, atque adeò divites, ut non tantum Bethania & major pars Hierosolymorum ad ipsorum hæreditatem pertinuerit, sed etiam ex hac copia Magdalona munificum castrum ædificarent, quod Maria sorori inhabitandum tradiderint, unde ipsa postea Magdalena dicta fuerit. Hæc extra scripturam adducta eadem facilitate rejiciuntur, qua afferuntur. Et cuivis diligenti Scripturarum lectori sponte sua patet, tres diversas fœminas fuisse, peccatricem, Luc. 7. v. 37. Mariam Magdalenam hic Luc. 8. v. 2. & Mariam sororem Martha, Luc. 10. v. 39. & Johan. 11. v. 1. Hæc satis manifesta sunt ex historia Evangelica, sicut etiam Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis, negare non potest.

Harm. Tom. I.

Nihilominus tamen urget receptam Ecclesiæ opinionem, qua tenetur, eandem fuisse fœminam, & peccatricem & ex qua septem dæmonia sunt ejecta, & quæ Bethania Christum hospitio exceptit. Et concludit, secundum hanc sententiam esse sentendum, non obstante eo, quod ex Evangelii videtur obstat. Sed non perpendit, quam turpe, imò quam impium & prophanum sit, hominis, quisquis is sit, sensum præferre testimonio Evangelii. Originem autem hæc opinio traxisse viderur ex Gregorio Magno, qui super Evangelium de peccatrici hæc ponit verba: Congitanti mihi de Maria Magdalena poenitentia, flere magis libert quæ dicere. Cuius enim vel fæcum peccatum, illæ huius peccatricis lachryma ad exemplum poenitentia non emolliant? Ab eo tempore in Ecclesia cœptum est, peccatricem & Mariam Magdalenam pro una eademque haberi: cum vetustiores Patres, Origenes, Chrysostomus, Théophylactus, Ambrofius & Hieronymus, semper pro diversis habuerint. Adeò facile est & proclive Diabolo errorem in Ecclesiam invehere, etiam ex eo, si quando insigni alicui Doctori inconsideratio aliquis sermo excidit. Unde etiam magni viri non omnibus suis cogitationibus leviter indulgere, sed eas exactè ad normam divini verbi examinare debent: ne sua autoritate puritatæ doctrinae apud posteros noceant. Sed de his satis. Nos statim, Mariam quæ & hic & alibi in Evangelica historia Magdalena cognomento insignitur, non fuisse sordidam illam & infamem peccatricem, sed obfessam quidem à septem dæmoniis, ceteroquin autem honestam nobilem & satis opulentam, quæ una cum aliis Dominum atque discipulos ejus ex facultatibus suis aluerit.

2. Nominatur etiam Johanna, cuius Lucas postea adhuc semel mentionem facit, c. 24. v. 10. quod affuerit reliquis mulierculis, cum angelus annunciaret resurrectionem Iesu. Illud vero peculiarem requirit observationem, quod hæc Johanna scribitur fuisse uxor Chuſe, procuratoris Herodis. Significat autem Ḧιρόντης Græcis, non tantum Tutorem, pupillorum, verum etiam procuratorem & præfectum, cui aliquid committitur, ut alterius nomine & loco negotia quædam obeat & administret. Ita Xenophonti villicus vocatur: ὁ ἐν τοῖς ἀχεοῖς θηριούσας. Et Herod dicit: Ηἱρόποτεν οὐλαίς, procuro vel administro Egyptum. Et Thucydides dicit: τὸν πόλιν Ηἱρόποτεν; civitatem gubernare. Porro vocabulum illud receptum & usitatum fuisse inter Iudaos inde constat, quod Elias Levites in suo Thesbite annotat, ubi Genes. 41. v. 40. Pharao dicit ad Josephum: Tu eris super domum meam, ibi Thargum Hierosolymitanum reddidit Πέτρων. Et Esther 2. v. 3. ubi Rex constituit Πέτρων, quibus commissum erat hoc negotii, ut ex universo regno conquerirent pueras eleganti forma, Græci reddiderunt κυριάρχους, Thargum Hierosolymitanum reddidit, Αντεπτρόν, quæ dictio simpliciter à Græco Ηἱρόποτης mutuata, Hierosolymitanis, quasi vernacula facta fuit, tunc potissimum, cum Græcorum societate sub Lacedemoniorum imperio uterentur, sicut & Ιερομάντης de quo suo loco. Græci enim

Ddd 2

enim

enim interpres, Gen. 39. v. 5. ubi Potiphar Josephum verbo τί περιτι totius domus suæ administrationi perficit, usi sunt verbo Τί περιτι. Hæc observanda sunt, ut intelligatur, maritum Johannæ præcipue autoritatis fuisse in aula Herodis. Oportuit enim & illud impleri, quod Psalm. 68. v. 23. dicit: ex pinguibus adducam: convertam de profundis maris. Neque enim pauperibus & despectis Deus ita alligavit regnum suum, ut divites & potentes plane exclusos esse velit. Paulus enim non dicit omnino nullos, sed paucos divites & potentes electos esse, 1. Cor. 1. v. 26. Sed quomodo divites & potentes hujus seculi vocentur, & recipientur in civitatem Christi, hoc exemplum ostendit: Quæ enim sana Christum forsitan non curasset, infirmitate compellitur, ut querat ipsum: quod & ipsum forsitan factum non fuisset, si infirmitas alia ratione curabilis fuisset. Nec coram mundo gloriosum fuit, Johannam in commitatu Christi esse, sed à multis sine dubio probro hoc datum fuit mulierculis illis, & præcipue Johannam à multis ludibrio habita, & quasi digno monstrata fuit, quod relicto aulico splendore, pauperem & despectum IESUM, cum discrimine famæ, dignitatis, & rei familiaris sequetur, præsertim quia Pharisæi & Scribæ cum Herodianis dudum adversus ipsum conspiravabant, atque tunc novi quid contra ipsum moliri videbantur, sicut sequentes historiæ ostendunt. Ut ita impleatur, quod scriptum est, 1. Corinth. 1. v. 28. infirma, & ea quæ non sunt, elegit Deus ut fortia, ut ea quæ sunt confundat & destruat, ut non glorietur omnis caro, sed per stultitiam prædicationis salvi fiant credentes. Maritum Johannæ fuisse non Ethnicum sed Judæum, appellatio

Chusæ ostendit. Qui si Christo adversarius extitit, insigne exemplum efficacis fidei & constanciæ est, quod Joanna, contempta non modo mundi ignominia, verum etiam mariti indignatione, comitando Christum tam illustre specimen confessionis edit. Si vero marito consentiente factum est, Deus mirabiliter elutus & fregit impetas machinationes Pharisæorum contra Christum. Jam enim conspiraverant cum Herodianis in perniciem Christi, Marc. 3. v. 6. de quo supra cap. 49. Harmonia. Sed interim Regulus, Joh. 4. v. 53. Centurio, Matth. 8. v. 6. & jam prædictus *Chusæ* (nisi quis hunc eundem cum regulo esse velit) Ecclesiæ adjunguntur. Sed si alius fuit, de ipso nihil certi affirmari potest, utrum Ecclesiæ membrum factus sit nec ne: de ipsa vero *Johanna* Lucas cap. 24. v. 10. testatur, quod in constantia fidei perleveravit, etiam post crucifixum Christum. Relicta enim Galilæa Hierosolymam Christum cum cæteris mulierculis secuta fuerat, & effecta est testis atque prænuncia resurrectionis Christi. Nominatur etiam *Susanna*, & præterea dicuntur fuisse plures. Quarundam nomina extant Matth. 27. v. 5. Marc. 16. v. 1. & Luc. 24. v. 10, scilicet Maria matris filiorum Zebedæi, Salomes, & Mariæ matris Jacobi minoris, & Joses. Illæ enim scribuntur in Galilæa ministræ Christo. Reliquarum nomina scripta sunt in libro vita, & in altera vita nobis innotescunt, ubi receptura sunt præmia sua erga Christum & Apostolos liberalitatis.

Ita pericope hæc descriptionis apud Lucam de peregrinatione Christi, quæ propter brevitatem jejuna videbatur, non parum utiles doctrinas complectitur.

CAPUT LIX.

CONTINENS HISTORIAM REDITUS CHRISTI EXILLA
PEREGRINATIONE CAPERNAUM, IN DOMUM SUAM, UBI EJICIT
DÆMONIUM COECUM ET MUTUM: UNDE MAGNA CONCERTATIO
INTER IPSUM ET SCRIBAS ORITUR. MATTH. 12. v. 22.
MAR. 3. v. 19.

RATIO ORDINIS.

Nidentur distinctæ esse historiæ, redditus in domum quem Marcus solus describit: ejactio dæmonii cœci & muti, quæ apud Matthæum & Marcum invenitur: & cognitorum desiderium colloquendi cum Christo, quod apud tres Evangelistas habetur. Sicut etiam à plerisque hæc historiæ distrahuntur. Sed si quis omnes circumstantias diligentius ponderet, atque accurate, quomodo cohærent, consideret, facile animadvertiset, hæc historias non distrahendas esse, verum uno continuo tractu eas accidisse, seque invicem secutas esse. Ideo Evangelista diligenter inter se sunt conferendi. Et Marcus quidem historiam redditus statim subjicit post electionem Apostolorum: sed ratio ordinis rem ipsam di-

ligentius considerantibus manifesta est. Lucas enim post descriptionem peregrinationis illius dicit multas turbas convenisse: & Christum postea multa per parabolam locutum esse. Matthæus vero dicit ante concionem illam parabolam, in domo factam esse concertationem de Beelzebub: qua occasione vero Christus in *domum venerit*, Marcus annotat: cuius tamen descripicio plene intelligi nequit, nisi conferatur cum Luca. Marcus enim dicit Iesum venisse in domum: sed unde venerit, ex Luca colligitur, scilicet ex peregrinatione. Et simplex positum est pro composito, sicut Joh. 14. v. 28. Vado & venio ad vos, id est, redeo. Ita significantius hoc loco diceretur. *Reddit*, absolute scilicet peregrinatione, in *domum*, quam Capernaum habebat. Marcus idem dicit, *multas turbas convenisse*; qua occasione